


Occasionalia
polypinum Caminia W-183
vol. 23
P-V

W-183-



NOBILISSIMO CLARISSIMO QVE
VIRO
DOMINO

IOH. GERH. PAGENDARM,

Lubecensi,

Liberalium Artium Magistro

publice renuntiato,

Vitembergae V. Kal. Maj. A. MDCC III
gratulabatur

M. HENRICVS Clausing/

Ord. Phil. Adscr.

VITEMBERGAE,

LITERIS IOHANNIS GOTHOFREDI MEYERI

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-678805-p0005-6





S. P.

Onsideranti mihi, Cl. Vir, ingentem numerum illorum, qui nostra aetate ad bonas artes excolendas animum adjungunt, subit aliquando apud me exquirere, quid causae sit, quamobrem in tanta multitudine tam pauci perfecta quadam, aut praeclara saltem eruditione excellant. Sed animadverto, multas esse & admodum discrepantes artium corruptarum usus, aliam aliam deteriorem. Inprimis una video communem fere omnibus esse & facile primam, quando plerique sine ratione docentur & via. Non ignoras ipse, quam multi sint, qui coeca prorsus & temeraria cupiditate ad philosophandum concitantur, qui ingenii judicii que ne tantum qvidem ad bonas literas excolendas afferunt, quantum ad officinam sutoriam exornandam requireretur. Ex quo illud fit, quod tanto studiorum numero laboramus, de quo videbis aliquando conqueri summos Viros, idque non injuria. Quid enim praeclari & laude dignum tu postulares aut expectares ab illis, in quos nihil praeclari & laude dignum collocavit benignior natura. Neque vero ingenio pollere sufficit, sed eo recte uti palmarium est. Quis autem usus ingenii esse judicii que potest in novis illis atque inauditis mulierum corruptelis, & luxuria, qua tot tamque praeclaro alioquin ingenio praediti prorsus diffluent. Deum immortalem!

lem! Qvae potest esse studiorum ratio, in primis apud
Theologos, in tanta impietate, tamqve effrenata libidi-
ne, petulantia, & procacitate, qvam videbis multos, ne
semel quidem admonitos, tam impune auferre? Ignati-
anam, & otia, & compotationes, & alia innumera invit-
amenta scelerum non commemorabo. Neqve etiam
intelligo, utrum digni sint, ut in eruditorum numero
ponantur mulierosisti, qvi incredibili qvadam rei uxori-
iae cupiditate flagrantes tantum literis dant operam,
qvantum fortassis ad uxorem alendam, atqve ad pa-
nem lucrandum, sufficere opinantur: Populariter lo-
qvor in caula populari. Neqve qvicqvam nunc addo
de malevolorum invidia, atqve obtreccatione, deqve il-
larum rerum inopia, qvibus artes ali solent & promove-
ri. Haec enim, & qvae sunt vel sexcenta alia, qvae avo-
care optimos qvosqve a contentione laudis solent, at-
qve in infinitis eruditorum subselliiis consistere jubent, ad
paucos spectant. Vnum illud est, qvod primo loco fuis-
set commemorandum, qvod nostra aetate commune
coepit esse vitium omnibus: *ἀνεθοδία*, dissentium dicam,
an multorum etiam docentium? Dolenter hoc scribo
magis, qvam contumeliose. Qvotus enim qvisqve est,
qvi elegantiora studia conjungit cum magis necessariis,
antiqva cum novis, & sublimiora cum inferioribus? Ma-
xima pars, (verba sunt Rol. Maresii,) ignari qvam viam
sistunt, qvos auctores in manus sumant, qvove ordine
aut methodo progrediantur, coecorum more hue illuc
feruntur: Desultoria, qvam vocat Seneca, lectione, nul-
lo certo consilio per scriptores vagantur, leviterqve tan-
tum, qvicqvid arripiuere, delibant, & nihil penitus atqve
ad plenum curant perdiscere. In qvo saepe auctores ha-
bent eos, qvos uti duces venerantur & prudentes moni-
tores, qvos merito castigavit Cl. Morhofius, aliquique ae-
qvisimae studiorum exigitatores. In his, & qvae sunt
id ge-

id genus alia, potissimum posita est ratio & causa, quam obrem, cum frequentissimi ad bonas literas adjungant annum juvenes nostri, paucissimi tamen, uti poterant & debebant, eruditione excellunt perfecta vel etiam prae-clara. Haec tu omnia dudum cognita habes & perspecta, Cl. Magister. Quamobrem, cum ingenio, industria, pietate, & eximia morum comitate atque humanitate multos antecellas, neque adeo etiam in opia labores, aut invidia malevolorum, recte facis & praecclare, quod concitato quasi cursu ad summa contendis. Nihil temere a te aut sine ratione suscepsum video, nihil leviter delibatum, nihil confusum, nihil praetermissum. Cum intelligis, uno quodam Societatis vinculo contineribus artes, nihil separas eorum, quae ex elegantioribus, sublimioribus & novis conjungenda erant cum antiquis facilioribus, & magis necessariis. Quapropter vehementer te amant Patres Academiae nostrae, vel potius in te amando certant. Omnes mira quodam consiliorum conjunctione auctores fuerunt Spectabili Decano, ut inter primos te collocaret, & summis honoribus augeret. Atque adeo inde nunc demum ego intelligo, non temerariam fuisse conjecturam de te meam, in literis ad Fratrem tuum datis, quibus jam duos hos annos eidem gratulabar. Macte illa tua virtute, Clarissime Magister, Deus immortalis divinitus adjunget fortunam conatibus tuis, ut spem Parentum, Patriae, atque ipsius etiam Ecclesiae, bonarumque literarum de te non modo sustinere, verum etiam longissime superare possis. Ita nullum erit fastigium honoris, quo tu, simulatque ad profectiores annos perveneris, non aspirabis & feliciter transcedes. Vale.

Iny VI 183

KD 18
VON

Universitätsbibliothek Sachsen-Anhalt

DFG



IMO CLARISSIMO QVE
VIRO
DOMINO
GERH.
ENDARM,
Lubecensi,
m Artium Magistro
ublice renuntiato,
ae V.Kal.Maj.A MDCC III.
gratulabatur
NRICVS *Glausing*/
Ord. Phil. Adscr.

VITEMBERGAE,
HANNIS GOTHOFREDI MEYERI